

Massen auf, von denen manche allen Anforderungen entsprechen. Den Regeln der Metrik bleiben die herrlichen Hymnen der patristischen Periode und des früheren Mittelalters noch im Ganzen treu, doch nicht ohne die conventionelle Prosodie gelegentlich dem Accent und zumal dem Sinne zu opfern.<sup>1)</sup> Endlich haben wir die nicht minder mustergültigen Schöpfungen des späteren Mittelalters, in denen, wie gesagt, Silbenzählung, Accent und Reim allein herrschen. Unser neues Brevier hat demgemäss Dichtungen der verschiedensten Form und Gestaltung, theils neue, theils ältere unter Zustimmung Rom's aufgenommen, von denen wir hier nur auf die prächtigen Hymnen am Feste des hl. Bernhard, »Iam Regina discubuit« (aus dem späteren Mittelalter) und »Lacte quondam« (aus dem 17. Jahrhundert), auf das aus dem Dominicaner-Orden stammende »Salvete cedri Libani« (13. Nov.) und die gebetsfreudigen Schöpfungen Dom Le Banners († 1867 in Marseille) hinweisen wollen. Es ist zu hoffen, dass manche dieser Lieder nach und nach Gemeingut des Ordens und selbst der Kirche werden und den unverlierbaren Schatz der traditionellen Hymnen ergänzend und befruchtend zu sichern berufen sind.

Dem Werk Pimont's, dem wir Fortgang und Gedeihen wünschen, wird dann mehr als vielleicht irgend einem anderen das Verdienst eignen, zur richtigen Würdigung der kirchlichen Hymnodik und ihrer Gesetze beigetragen zu haben.

Maredsous.

P. Bonifaz Wolff.

### Commentarium in librum Geneseos.

Scriptis Thomas Josephus Lamy, sacrae Theologiae doctor. sacrae scripturae et linguarum semiticarum in universitate Catholica Lovaniensi professor etc. etc. Mechliniae, Dessain, 1883 et 1884, tom. 2 in 8<sup>o</sup>. Pretium 10 frcs.

Geneseos librum omnimode impugnatum fuisse nostris diebus a vaferrimis hostibus revelationis divinae, nuncupatis jure merito Rationalistis et Scepticis, sed hominibus falsi nominis scientiae, omnes catholici norunt et gemunt. Nam cum impugnationes, de quibus agimus et quae versabantur circa authenticitatem integritatemve textus mosaici, seu etiam ejus authenticitatem, procederent argumentative a scientiis (philologia, geologia et aliis similibus), quae aliquid novae sunt, eas nec sancti Patres nec interpretes seculorum praecedentium enodare seu praecavere potuerant; quin imo ipsos in plures errores circa has materias lapsos esse superbe asserebant et non sine causa apparenti verae fidei inimici in ipsumet insuper Moysen,

<sup>1)</sup> „Sed quosdam refugit regula clara pedes,“ sagte der heidnische Dichter Volusian verzweifelnd, als er den Namen seines Freundes nicht in den Vers bringen konnte; solche Bedenken kannte die ganz anders geartete Poesie der alten Kirche nicht.

quamvis prorsus injuste, refundentes dictorum interpretum lapsus. Hinc necesse videbatur, ut exsurgeret vir vere catholicus et simul magna eruditione refertus, sive quod spectat philologiam et linguarum orientalium notitiam, sive quod spectat archeologiam praehistoricam, geologiam et alia huius generis, qui geneleos et veritatis catholicae vindicias docte et alacri animo susciperet fideliterque perficeret. Porro iis, qui hucusque hanc curam assumpserant, non ad unguem rem perduxerant. Sed hodie desideratum doctorem meo iudicio possidemus, nempe clarum virum, D. Lamy, cui debetur novum commentarium in Genesin, plane hodierno scientiarum statui accomodatum solidamque objectionum a rationalistis et geologis excogitarum exhibens confutationem. En brevis analysis tam egregii operis. In proemio ejus seu Prolegomenis impugnat primo loco novus commentator systema Elohistarum et Jehovistarum, elaboratum ad labefactandum tum authenticitatem tum veracitatem narrationis mosaicae, clareque ostendit, hoc systema nihil aliud esse, quam figmentum gratuitum fabularumque congeriem.<sup>1)</sup> Deinde similiter clare et solide elucidat auctor caetera, quae sunt de Moyses, ejus divina inspiratione etc. Sicque praejectis fundamentis totius tractationis ipse incipit et prosequitur presso pede et ordinarie de versu ad versum usque ad finem commentationem proprie dictam libri Geneleos. In ea adornanda multum sollicitus jure merito de sensu litterali recurrit, ut eum secure detegat, tum ad textus primigenios cum ad antiquas versiones et ad meliores notae interpretes. Quoad sensum mysticum illum non negligit, sed breviter et paucis verbis indicat. Objectiones vero Rationalistarum, geologorum et similium majorem tenent locum in hac commentatione, et juste, ut patet ex praemissis, sed ordinarie rejiciuntur ad calcem capitum, ne abrumpatur series narrationis mosaicae. Aliunde illas solvit earumque inanitatem seu imbecillitatem aperit tam erudita quam invicta argumentatione, praesertim quando agitur de unitate generis humani ejusque conditione primigenia,<sup>2)</sup> de existentia et universalitate diluvii noachici<sup>3)</sup> et similibus quae pertinent ad fidem. In dubiis vero et in incertis relinquit unicuique eruditorum jus adhaerendi quibuslibet opinionibus, suo arbitrio. Facile esset amplius producere hanc recensionem operis tam eximii, sed cui bono? Quae dixi, sufficiunt, ut puto, ad ostendendum, cujus sit meriti et cujus utilitatis tum pro confutatione erroris, tum pro vindicatione veritatis et doctrinae hominum bonae voluntatis. Caeterum dividitur

---

1) Commentar. in Genesin 1. p. 9—26.

2) Commentar. in Genesin 1. p. 153—169.

3) Ibid. p. 313—320.

in duos tomos haec commentatio et non sine causa, siquidem liber ipse Geneseos in duas sectiones partitur: quarum prima refertur ad creationem mundi et origines historicas totius generis humani, secunda vero tractat de Abramo et ejus primis posteris seu de originibus historicis populi judaici specialiter considerati. Hanc autem sectionem adoptat suamque facit in partitione suae commentationis D. Lamy. Quoad styli dotes, linguam latinam optime callet eamque iste auctor scribit eleganter nec ei deest concisio verborum et claritas sermonis. Aliunde si multum studuit recentiorum temporum scriptis ad ea confutanda, magis tamen versatus est in tractationibus interpretum melioris notae veterumque Patrum ac praesertim S. Ephremi, qui meretur nuncupari doctor catholicus linguarum semiticarum.<sup>1)</sup> Sicque, ut ipse fatetur in monito praevio (p. 6), sat multa, quae visa sunt vera et utilia, ab utrisque fontibus mutuatus ad instar apis prudentis et laboriosae optimos favos mellis collegit a floribus plantarum tam venenosarum quam salubrium; quod ego libenter assero et testificor. Unde omnes et praesentim studiosam juventutem seminariorum et universitatum catholicarum hortor et obsecro, ut currant ad hoc alvearium, nempe Commentarium clarissimi viri Lamy in Genesin, et gustent illo favos mellis tam suavis quam nutritivi, qui in eo absconduntur, et ex eis satiabuntur. Haec pauca sufficiant ad commendationem eximii doctoris Lovaniensis ejusque novae post plures alias scriptionis, quae honoris locum obtinere meretur in omnibus bibliothecis ecclesiasticis et etiam geologicis, ad scientiae profectum, ad erroris confutationem et veritatis vindicationem.

D. Beda Plaine.

### I. Regesta Innocentii Quarti

ex codicibus Vaticanis et Parisiensibus edita integre vel analytice curis et operâ Eliae Berger, scholae vulgo nuncupatae Gallico-Romanae (Ecole française de Rome) alumni. — Textus latinus cum notis, prolegomenis, et indicibus linguâ gallicâ exaratis. — Primus tomus LXXX — 458 pp. in 4<sup>o</sup> maiori et duabus columnis constans. Paris, Thorin 1884. Fr. 45.

### 2. Regesta Benedicti XI

ex codicibus Vaticanis edita integre seu analytice curis et opera Caroli Grandjean, eiusdem scholae alumni. — Duo primi fasciculi de 256 pp. in 4<sup>o</sup> — constans Textus latinus ut supra. Paris, Thorin 1884. Fr. 20.

Ex omnibus fontibus, unde hauriuntur historica documenta, notitiae, testimonia ad veritatem comprobendam erroresve confutandos et alia huiusmodi, nullus forsân, saltem quoad medii

---

<sup>1)</sup> Nactus hanc occasionem enixe commendo editionem vere criticam Hymnorum et sermonum ejusdem S. Ephremi, quae hodie, curante nostro docto Commentatore, sub praelo est Mechliniae apud Dessain et tribus voluminibus in 4<sup>o</sup> constare debet. Primum volumen jam editum est, secundum et tertium brevi tempore subsequuntur, si adsint doctorum et piorum suffragia et pecuniaria subsidia.